Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 599
Quelle:
Copyright:

bani Abbatis *Scoti*, qui circa annum DXC. cum turma Monachorum popularium in *Gallias* transfretavit, unde in aliis *Codd.* etiam *Regula Coenobialis Patrum Scotorum* inscribitur: *Holstenius* eam *Regulae Columbani* subnexuit, quam in *Cod.* nostro praecedit. Vide Editionem *August. supracit.* T. I. p. 170. et 174. Quoniam vero in *Cod.* multum ab Editis variat, ejus Initium adscribimus: *Statutum est fratres karissimi a sanctis patribus ut demus confessionem ante mensam siue ante lectorum introitum aut quandocumque fuerit facile! quia confessio et penitencia de morte liberat; Ergo nec ipsa parua confessione sunt negligenda peccata quia ut scriptum est qui parua negligit. paulatim destuit; Ergo qui non custodierit ad mensam benedictionem et non responderit. amen. sex percussionibus emendare statuitur; Simili modo qui locutus fuerit comedens non necessitate alterius fratris! VI. emendare statuitur! et qui non signauerit coclear quo lambit; Qui locutus fuerit in plauso id est alciore sono solito sonauerit. VI. percussiones* &c. Atque ita plagosus hic *Codex* inter *Percussiones* et *Superpositiones* i. e. certa quaedam jejunia decurrit cum Editis usque ad locum illum, qui de Culpis circa *Sacrificium* agit, ubi post verba: *seu casu aliquo die uno peniteat*, haec addit, quae etiam in *Bibl. PP. Lugd.* T. XII. p. 8. leguntur: *si autem per contemptum submerserit id est exierit aquam et non considerauerit de periculo sacrificium* (sacrificii) *X. d. peniteat. si autem obtentum* (obtentu?) *insoliti cibi pinguioris et non uicio saturitatis sed stomachi euomuit in die sacrificii cenam XX. diebus. si infirmitatis gratia X. diebus peniteat in pane et aqua.* Desunt haec in editis, quae tamen, *Codice* hic sistente, longius deinceps procedunt.

III. *fol.* 79. p. 2. *Incipit Regula Sancti Columbani.* Itaque πρότερον ὕστερον. *Poenitentiale* enim praemissum nihil aliud esse videtur quam *Caput* X. seu ultimum hujus *Regulae.* Incipit haec: *Primum omnium docemur deum diligere* &c. et consentit cum Editis usque ad C. VII. *de Cursu Psalmorum*, quod *Codex* ignorat, quodque, an reipsa huc pertineat, haereo. Finis in Codice: *sed voluntatem eius qui me misit patris.* Itaque et illud, quod *de Perfectione Monachi* e Cod. *Bobiensi* adjecit *Holstenius*, desideratur. Ceterum et lectio multum variat.

IV. *fol.* 84. p. 2. *Incipiunt monita Sancti Porcarii abbatis.* Initium: *In mente habe quia hospes es in hoc corpore* &c. Leguntur inter *Th. Galleti* Opuscula quorundam PP. *Lugd.* 1615. et inde in *Bibliothecis PP.* Ita titulo *Epistolae* in edit. *Lugd.* T. XXVII. p. 483. ubi *Porcarius incertae aetatis* dicitur. Sed eum vixisse Sec. V. praefuisse Monasterio *Lirinensi*, formasse ibidem *Caesarium* postea Episcopum *Arelat.* et *Monita* scripsisse, *Anonymo Mellicensi* c. 58. debemus.

V.